fragmentarium

commemoratione notandum esse comperi. te ex hoc intellegi potest.
quod in loquendo rectissime dicimus. quod est huic rei nomen. rem me-
moriae mandare cupientes. quod est autem huic rei uerbum dicere
non solemus. quoniam non solum tantundem sed etiam idem omnino significent. et in-
esse quae nihil praeter litterarum differt sonum. nomen et onoma. Inuenimus.
illud sane mihi elapsum erat in hoc genere in quo inuicem se signifi-
cant. nullum nos signum conperisse. quod non inter cetera quae significat. se quoque
significet. haec quantum potui recordatus sum. Tu iam uideris
quem nihil puto in hoc sermone nisi scientem certumque dixisse.
utrum ista bene ordinateque digesserim. Aug. Satis tu quidem me-
moriter omnia quae uellem recoluisti. et ut tibi fateor multo eviden-
tius mihi nunc uidentur ista distincta. quam cum ea inquirendo ac dis-
serendo de nescio quibus latebris ambo eruerimus. sed quonam tantis
ambagibus tecum peruenire moliar difficile dictu est hoc loco. Tu
enim fortasse aut ludere nos et a seriis rebus auocare animum quasi
quibusdam puerilibus questiunculis arbitraris. aut paruam et me-
diocrem aliquam utilitatem requirere. aut si magnum quiddam partu-
rire istam disputationem suspicaris. iam iamque scire siue saltim audi-
re desideras. Ego autem credas uelim. neque me uilia ludicra hoc
instituisse sermone. quamuis fortasse ludamus. idque ipsum tamen non pue-
rili sensu estimandum sit. neque parua bona aut mediocria cogitare.
Et tamen si dicam uitam esse quandam beatam eandemque sempiternam. quo nos
deo duce id est ipsa ueritate gradibus quibusdam infirmo gressui
nostro accommodatis perduci cupiam. uereor ne ridiculus uidear quod non
rerum ipsarum quae significantur. sed signorum consideratione tantam uiam
ingredi ceperim. Dabis igitur ueniam si praeludo tecum non ludendi gratia.
sed exercendi uires et mentis aciem quibus regionis illius ubi beata uita
est calorem ac lucem non modo sustinere. uerum etiam amare possimus. Ad. per-
ge potius ut coepisti. Nam numquam ego contemnenda putem quae tu dicen-
da agenda putaueris. Aug. Age iam ergo illam partem consideremus.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.18, 5r – Augustinus, De magistro
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-20r2/5297/50316)